



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.  
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ  
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

**Bacon, Francis**

**Francofvrti ad Moenvm, 1665**

4. Prodromi sive Anticipationes Philosophiæ secundæ.

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5**

invadendo, scientiam ab imis fundamentis evertat. Nos novam viam afferentes, tum sensus, tum mentis errores regere & relictuere conemur. Itaque illi iactam arbitrari aleam, ad ingenii quandam peregrinationem liberam & amœnam se vertunt; nobis ex opinione nostra difficilis & remora obvenit provincia, quæ ut generi humano felix & fausta sit, perpetuo precamur. Itaque initia viarum secundo libro descripsimus; eisdem ipsi continuo ingressi. Tertio Phænomena Universi & Historiam tractavimus; in quo certe Sylvas Naturæ, & variatione infinita experimentorum veluti foliis opacas & obscuras, & observationum subtilitate, veluti virtutibus & vitiis implicatas penetravimus & præterivimus. Atque nunc ad magis aperta fortasse, sed tamen ad magis ardua pervenimus, ex Sylvis scilicet ad Radices Montium. Nam ab Historia ad universalia certo atque constanti tramite (licet via nova & intentata) ducemus. Atque certe non male in vias contemplationum conveniret illud celebre & decantatum apud antiquos bivio Vitæ Activæ, ex quo via altera primo ingressu plana & facilis ducebat ad prærupta & impervia; Altera à principio ardua & suspensa in plana desinebat. Nam eodem profus modo, qui jam inde à prima inquisitione immobilia quædam in scientiis principia

prensabit, quibus acquiescens cætera veluti per otium expediat, illum, si modo perrexerit, nec nimium sibi placens aut duplices ab inquisitione destiterit, prioris viæ fortuna manet. Qui autem iudicium cohibere & gradatim ascendere, & rerum veluti Montium juga, unum primo, deinde alterum, ac rursus alterum superare cum patientia vera & indefessa sustinuerit, ille ad summities & vertices Naturæ mature perveniet, ubi & statio serena, & pulcherrimus rerum prospectus, & descensus molli cliyo ducens ad omnes prácticas. Itaque consilium nostrum est, veræ & legitimæ de rebus inquisitionis (ut in secundo libro præcepta) ita hic exemplaria proponere & describere pro varietate subjectorum; idque ea forma, quam cum varietate summum consensum habere putamus, atque ut probatam & electam tradimus. Neque tamen more apud homines recepto, omnibus huius formulæ partibus necessitatem quandam attribuimus, tamquam unica essent & inviolabiles. Neque enim hominum industriam & felicitatem veluti ad columnam alligandas existimamus. Atque nihil officit, quominus ii, qui otio magis abundant, aut à difficultatibus, quas primo experientem sequi necesse est, liberi jam erunt, rem monstratam in potius perducant. Quin contra, Artem veram adolecere statuimus,

PRODROMI

*Sive*

ANTICIPATIONES PHILOSOPHIÆ  
SECUNDÆ  
PRÆFATIO.

EXISTIMAMUS eum & amanti civis & viri prudentis personam bene simul sustinuisse, qui interrogatus an optima leges suis civibus dedisset, optimas certe dixit ex iis, quas illi accepturi fuissent. Atque certe quibus non tantum bene cogitasse satis est (quod non multo secus est ac bene somniasse) nisi obtineant quoque & rem ad effectum perducant, his non optima utique, sed ex iis, quæ probari verisimile est, potissima quandoque eligenda sunt. Nobis vero licet Romanam Republicam, Patriam communem, summo prosequamur amore, tamen legislatoria illa ratione, & delectati uti liberum non est. Neque enim leges Intellectui aut rebus damus ad arbitrium nostrum, sed tamquam scribere fideles ipsius Naturæ voce latas & prolatas excipimus & describimus. Itaque si illæ placeant, sive per opinionum suffragia antiquantur, fides nostra omnino exsolvenda est. Neque tamen spem abjecimus, quin atque exoriantur apud posterum nonnulli, qui optima quæque capere & concoquere possint, & quibus ea perficere & coleere cura erit. Itaque ad illa tendere, atque fontes rerum & utilitatum aperire, & viarum indicia undique conquerere (invocata Numinis ope nunquam, dum in vivis erimus, desistimus. Idem nos de eo, quod ad omnes pertinere, & in commune prodesse possit, sollicitum ad majora contendimus, minora non aspernamur (cum illa remora, hæc parata esse soleant) nec potiora (ut arbitramur) asserentes, idcirco Veteribus ac receptis, quo minus illa apud plurimos valeant) intercedimus, quin etiam ea ipsa & aucta & emendata, & in honore esse cupimus. Neque enim homines aut omnino, aut statim à receptis & creditis abducere conamur. Sed quemadmodum sagitta aut missile fertur certe in processu, sed tamen interim conversationes suas perpetuo expedit progrediendo & nihilominus rotando; ita & nos dum ad ulteriora rapimur, in receptis & cognitis volvimur & circumferimur. Quam obrem nos quoque Rationis ipsius communis & demonstrationum vulgarium (abdicato licet imperio earum) honesta opera utimur; atque ea quæ nobis secundum eas inventa & iudicata sunt, quæque plurimum & veritatis & utilitatis habere possunt, pari cum cæteris iure proponemus. Sed tamen neque per hoc is, quæ de Rationis nativæ & Demonstrationum Veterum incompetencia dicta sunt, derogatum quidquam intelligimus. Quin hæc potius ad iunximus, ad tempus & gratiam eorum, qui iusta excusatione aut virium, aut occupationum retardati. Contemplationes suas intra Veteres Scientiarum plagas & provincias, aut saltem earum confinia contentum sistere volens; Eadem iis, qui veram Naturæ interpretationem secundum indicia nostra accedent, eamque molientur, socio diviticulorum, aut tabernaculorum in via præbitorum ad solatium & levamentum esse queant, atque interim humanas fortunas aliqua ex parte juvare, & Mentis cogitationibus, quæ paulo ardentiore cognitionem habeant cum naturæ, perfundere. Id vero ex facultate aliqua nostra, aut ejus fiducia, minime ominamur. Verum nobis dubium non est, si quis mediocri licet ingenii, sed tamen animi maturus, Idola mentis suæ deponere, atque Inquisitionem de integro sibi decernere, atque inter vera Historiæ Naturalis atque ejus calculos attente & diligenter, & libere versari velit, & possit, quin ille ipse, quisquis sit, longe altius in Naturam penetraturus sit ex sese, & propriis & genuinis Mentis viribus, demique ex mentis Anticipationibus suis, quam per omnigenam Authorum lectionem, aut meditationem abstractam infinitam, aut dispersiones assiduas & repetitas; etsi machinas non admoverit, nec interpretandi formam secutus fuerit. Quare & simile quæpiam nobis usu venire posse non diffidimus; præsertim cum accedat Interpretandi experimentum & exercitatio, quam ipsam habitum Mentis corrigere & mutare probabile est. Neque tamen hæc in eam partem accipi volumus, si hanc, quam Antiquorum placitis denegavimus, nostris adhiberi postulemus. Quin contra testamur & profiteamur, Nos ipsos istis, quæ jam proponemus, qualiacumque ea sint, teneri minime velle, ut omnia Philosophiæ nostræ secunde & industriale tamquam integra serventur. Cogitata autem ipsa spargere, non Methodo revincere visum est. Hæc enim forma, præficientibus tamquam à stirpe de integro Scientiis debetur; atque ejus est, qui non Artem constituere ex connexis, sed inquisitionem liberam instituere in singulis, in præsentia tantum velit.